

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Sortilegium et diuination a
cum fontibus proximo et primo

A quibus autem genus diuinationis exordium sumpserit, uel quot sint genera eius,

Augustinus exponit in libro de natura demonum ita dicens: C. I. De multiplici genere diuinationis.

Igitur genus diuinationis a Persis fertur allatum.

Varro autem dixit quatuor esse genera diuinationum, terram, aquam, aerem, et ignem:

hinc geomanticam, ydromanticam, aeromanticam, piromanticam dictam autumant.

Diuini dicti sunt, quasi deo pleni.

Diuinitate enim se esse plenos simulant,

et astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant.

Gratianus, *Decretum*, 2.26.3/4.1 (*Corpus iuris canonici* 1, A. Friedberg ed., col.1024).

Varro dixit diuinationum quattuor esse genera: terram, aquam, aerem et ignem.

Id est geomanciam, ydromanciam, aeromanciam, piromanciam dictam autumant.

Diuini dicti sunt quasi Deo pleni.

Diuinitate enim se esse plenos simulant,

et astuta quadam fraudulencie hominibus futura coniectant.

Augustinus in libro de natura demonum.

Varro dicit diuinationis quattuor esse genera, terram, aquam, aerem et ignem.

Hinc geomantiam, hydromantiam, aeromantiam, pyromantiam dictam.

Diuini dicti, quasi deo pleni:

diuinitate enim se plenos adsimulant

et astutia quadam fraudulenta hominibus futura coniectant.

Isidorus Hispalensis, *Etymologiarum libri XX.*, 8.9.13-14 (W.M. Lindsay ed., vol.1, n.p., ll.6-11).